

Q. K.  
353, 42.

X1880388

II R  
4926

Q. D. B. V.

*De*

# Ministerio quod crimen est,

Disquisitio Politica,

*Moderatore*

M. ADAMO Rechenberg/

Facult. Philos. Assess.

In ACADEMIA LIPSIENSI,

solenniter

M. DC. LXXIV. D. XV. Aug.

H. L. Q. C.

proposita

à

JOACHIMO Loth à Schönberg/  
Eqv. Misn.

Typis Viduae JOHANNIS WITTIGAU.



R.S.





## VIRIS

*Genere, Virtute, Officio & meritis  
Illustribus,*

**DN. HEINRICO HILDE-  
BRANDO** ab Einsiedel/

Toparchæ in Scharffenstein/Weißbach/Lumpzig &c.

Sereniss. ELECT. Sax. Consiliario Intimo  
& Judiciæ Appellationum Præsidi,

*nec non*

Statuum Provinc. Ducatus Altenbur-  
gens. Directori:

**DN. JOH. DIETERICO**  
à Schönberg/

Toparchæ in Mittelfrohn und Langenlain &c.

Serenissimi Domini, Dn. ERNESTI Duc. Sax. &c.

Consiliario Aulico, Capituli Numburgens.

Reverendiss. Canonico,

*ut &*

Consistorii Sacri Altenburgens. Præsidi,

*Patronis suis, Promotoribus & Cognato, cum singulari obser-  
vantia etatem colendis,*

*cultum & obsequia  
declaraturus,*

Hoc exercitium Academicum

*offert & dedicat,*

**Joachimus Loth à Schönberg.**





Um Lehn-Dienst hat nur erst ein Schönberg  
 disputirt,  
 Un seine Sätze durch das Lehn-Recht ausgeführt/  
 Vom Laster-Dienst wil jetzt ein ander Schönberg  
 schreiben/

Und seinen Sätzen was vom Stats-Recht einverleiben.  
 Wie man den Laster-Dienst / durch welchen man versucht  
 Dem Fürsten mehr als Gott zu dienen / billich flucht /  
 So wird des edelen Herr Schönbergs Dienst / erwiesen  
 Den wahren Studiis, Glück-wünschende gepriesen

von  
**Fridr. Geißlern / Silesio,**  
 Phil. & J. U. D. ac P. P.

**D**etegis infausti sceleris, Generose, Ministrum,  
 Nil nisi candorem fidaqve facta probans;  
 Detegis & mentem pariter, fortemqve futuram:  
 Candidus & felix nempe Minister eris.

*bene-ominabundus properab.*

**L. Joachimus Fellerus, P.P.**  
 & Facult. Philos. h. t. Decanus.

**G**Rande Ministerium non est hoc nomine dignum,  
 Qvod, si discutias, haut Leve crimen habet.  
 Hoc fugiens, Laudas Virtutis in igne probata  
 Quæ sunt, ac vero congrua, digna geri,  
 Digna geri, coram vel Magno Principe, qui Te  
 Classe Ministrorum jure locare qveat.  
 Maeste Ministerio tali! Spes una Parentis,  
 SCHœNBERG. Jam pulcrum culmen honoris habes.

*Gratulabundo calamo  
 scribeb.*

**L. Johannes Olearius, P.P.**  
 sub-





**S**ubservire malis nemo audeat. Improbatur ausos  
 Talia JHOVA, pios & pia facta juvans:  
 Quodque ministerium pravis quis commodat, illud  
 Nulla hominum sequitur gratia \*, nulla DEI. †

\* Tac. XIV. A. c. 62. † Ps. 5. v. 5.

*Honori Generosi & Nobiliss. Domini Resp. Commensal.  
 dilectiss. scrib. αυτοξειδιως*

**Christian. Frid. Franckenstein/  
 Prof. Publ.**

**T**urpe ministerium paucis foedum esse videtur,  
 Dum jussu Domini palliat omne nefas.  
 Cur diversa sapis, SCHœNBERGI: nempè PARENTIS  
 Optimi ad exemplum, discupis esse probus.  
 Sis probus & gnavus, virtutis tramite rectò  
 Decurrens, frugi, credo, Minister eris.


*Honoris & amoris  
 ergò,*

*Generoso & Nobilissimo suo Domino Respondenti  
 gratulatus. f. ci b.*

**Præses.**







I. N. J.



Ispicienti mihi de argumentò, quod non protritum nimis aut umbraticum foret, varia eaqve non injucunda incidebant primùm: Nullum tamen magis dignum consideratione, hâc quidem vice, putavi, quàm quod lectio *C. Plinii Secundi*, viri inter Romanos probi & prudentiæ laude celebris, suppeditabat. Habetur verò illud in *Epistola IX.* quam ad *Cornelium Minutianum Macrinum* de accusatione *Classici* exaravit, *L. III.* ubi in narratione singulorum actuum, quæis *Classicus* criminis petebatur reus, tandem adjicit socios & ministros ejus, *Bæbium Probum* & *Fabium Hispanum*, qui, utpote Provinciales, ad omne Pro-Consulum imperium parati fuerant exsequi mandata, licet crimina. Unde in defensione ministerii sui necessitati veniam precabantur. quod tamen *Plinio* non probatur. *Horum, ait, antequàm crimina ingrederer, necessarium credidi elaborare, ut constaret Ministerium crimen esse: quod nisi effecissem, frustra ministros (Classici, Hispanum & Probum) probassem. Atque hinc mihi in mentem venit contemplatio, quid ministro liceat, si à superiori Potestate jubeatur exsequi, quod crimen est.* Ardua fateor, est quaestio,

A

stio,





stio, quæ viros, eosque longè doctissimos, & rerum usu præstantes exercuit : reprehensionem tamen audaciæ non incurram, si modestè pro captu meo, super isthòc argumento heic exponam iudicium. Quod ut commodè fiat, paucis præfari oportet, *quid & quotuplex Ministerium*, itemque *quid crimen* sit appellandum. His præmissis *id, quod quæritur, cum iudicio* subjungam. Faxit DEUS ut eveniat feliciter!

## CAP. I.

De

### Præcognitis nostræ Tractationis:

#### Breviarium.

- (1.) Vocis *ministerii* significatio. (2.) *Ministerii* divisio. (3.) Quid *summum* ministerium : (4.) Quid *medium* : (5.) Quid *infimum*. (6.) *Causa distinctionis*. (7.) Quid *Crimen* sit. (8.) An distingvendum secundum leges : (9.) significatio vocis *criminis* determinatur. (10.) Hobbesii *ἀδίαφορία in criminibus* & eorum executione proponitur : (11.) *Eadem* ex duabus hypothefibus moralibus diluitur : (12.) confirmatur.

#### §. I.

**M**inisterii vox origine & usu Latina est, & notat apud scriptores interdum *honestiorem aliquam operam* sive officium, quod Reipublicæ præstatur. *Vel- lejus lib. II. Cap. XXXIX. Cypro devictâ nullis assignanda gloria est: quippe Senatus-consulto, ministerio Catonis, Regis morte, quam ille conscientia acciverat, facta provincia est. Et cap. XLV. Idem P. Clodius in Senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo, M. Catonem à Republica relegavit. Ubi Ministerium notare legationem sequentia docent. Atque hoc sensu, modernis scriptoribus non infreqvens vocabuli usus est. Liber extat hoc nomine insignis, de Ministerio Richeli & Mazarini, Cardinalium.*



lium, qui operâ & consiliis suis, potentiam hodierni Galliae Regis  
 ejusque Parentis firmare maximè laborârunt. Interdum verò  
*operam* ministri significat, quæ ad criminis executionem adhibe-  
 tur. Tacitus Agric. c. 2. Legimus cum Aruleno Rustico, Poetus Tha-  
 sea, Herennio, Senecioni, Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse:  
 neq; in ipsos modo auctores, sed in libros quoq; eorum sevitum, delegato  
 triumviris *ministerio*, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in  
 comitio ac foro urerentur. Apud Curtium l. VIII. c. 2. de cæde Clyti  
 legitur: Detestabile carnificis *ministerium* occupaverat Rex, ver-  
 borum licentiam, quæ vino poterat imputari, nefandâ cæde ultus.  
 Nos heic pro operâ seu executione ejus, quod propter offi-  
 cium ab Imperantibus injungitur ministro, sumimus.

§. 2.

Cùm autem gradus inter *Ministros* in Civitate esse sciamus,  
 necesse est inter *ministerium*, quod ex officii ratione sequitur, ali-  
 quod faciamus discrimen. Nempè aliud est *summum* ministe-  
 rium, aliud *medium*, aliud *infimum*. Singulis tamen opus habet  
 Princeps, quia, ut Tiberii effatum est: *suâ scientiâ non potest cuncta*  
*complecti.*

§. 3.

Ad *summum*, si Romanorum respicimus rempublicam, po-  
 test referri *ministerium ProConsulum*, qui potestatem Consulum  
 extra Urbem, in provinciis validarum nationum, bello subacta-  
 rum obtinebant. Vide Alex. ab Alex. G. D. Lib. II. c. 27. & lib. VI.  
 c. 3. Tali potestate in Bœticorum provincia gavisus est, quem ex  
 Plinio jam memoravi, *Classicus*. Nostris moribus summum mini-  
 sterium dicere licebit, quod est *Pro-Regum*, *Pro-Ducum*, *Ducum*  
*militiæ*, *Summorum in aula Ministrorum* aut *Consiliariorum*; sive illi  
 sint *primarii Status Ministri* (vulgò *Ministrissimi* audiunt) qui sum-  
 mam imperii, Principis locò, soli tractant; sive Principi ministe-  
 rium præstent juxta cum aliis sibi æqualibus, ut solent quos *Consi-*  
*liarios* appellare mos est.

§. 4.

Ad *medium ministerium* pertinent officia & opera *Provincia-*  
*lium*, *Praefectorum*, *Quæstorum*, *Judicum* & similium, qui Magistra-





tus appellantur. Nam Romanis *Magistratus* minorum potestatum nomen est. Et observante *H. Grotio. lib. de Summ. Potest. circa Sacra. c. 1.* contra Latinæ vocis usum *Summus Magistratus* dicitur. Tale verò, quod nos indigitamus, ministerium fuit *Bœbis Probi & Fabii Hispani, Provincialium* apud *Plinium l. c.* confer. *Aristotel. lib. V. Polit. c. XV.* ubi ferè similia magistratuum officia describit.

## §. 5.

*Infimo* ministeriò funguntur *personæ viliores*, quales sunt *scribæ, apparitores, & lictores*, qui jussa Præfectorum & mandata Judicum exsequuntur. Unde & *exsecutores viatores, nuntii* appellantur. Quisque enim Magistratus suos habet apparitores, seu ministros, quorum operâ in exsequendis mandatis uti necessum est.

## §. 6.

Hæc attingenda fuerunt, ut appareat, quorum *ministerium*, si à lege aliquâ deflectat, crimen dici possit. Nempè *omnium*, qui in civitate munus aliquod obeunt publicum; sive illud sit *supremum* post summam Potestatem, sive sit huic *proximum*, aut etiam *vile & minimum*.

## §. 7.

Sed ordo postulat, ut quid *crimen* sit, etiam exponamus. Ubi, si stylo vulgari loquendum, per *peccatum* brevissime expresseris. Hoc verò esse *ἀνομίαν*, seu *transgressionem legis* omnes norunt, qui sanâ ratione uti non nesciunt.

## §. 8.

Cùm verò *leges* propter autorem in *divinas, naturales, & civiles* communiter dispesci soleant, aliqui *crimen*, ceu vocabulum commune, juxta illas distingvendum esse putant. Ut *peccatum* sit transgressio legis divinæ, *vitium* legis naturæ, *delictum* legis civilis. Sed quis inter scriptores Latinos hoc discrimen adeò observat? promiscuè hæc vocabula leguntur usurpata. Præsertim cùm non rarò id, quod lege civili prohibetur, etiam lege naturæ & divinâ sit interdictum.

## §. 9.

Nobis hęc locò *crimen* est actio, quæ vel legi divinæ expressè, vel



663.

vel legi naturæ, vel etiam indè deductæ legi civili repugnat. Quid hæ leges sint, undè originem ducant, aut quale inter se discrimen habeant, opus non videtur, ut heic declaremus. Saltem illud animadvertendum aut præsupponendum potius est, leges hæc cuivis homini vel esse notas, vel debere esse cognitæ. Nemo enim obedientiam præstare valet, si id, ad quod tenetur, ignoret. Itaque si leges vim in animis hominum exferere debent, illarum cognitio requiritur. De *divinis legibus* cognoscendum est ex S. literis, quarum lectio nulli mortalium simpliciter denegata fuit. De *legibus naturæ* ex lumine rationis sanæ constat. Teste enim *Apostolo Rom. II. 14. 15. opus legis naturæ cordibus hominum inscriptum fuit*, ut turpe inter & honestum, per illud judicare valeant. Neque hujus legis dictamina, in gentibus vel maximè barbaris, quoad *actum primum* deleri possunt. licet ad tempus, ex justâ DEI desertione, per pravam consuetudinem, aliquando sopiantur. *Leges civiles*, quæ ex modò laudatis fontibus derivantur, ad conservandum reipublicæ statum, per promulgationem publicè & perspicuè factam, non possunt à civibus, qui rectorem civitatis habent, ignorari.

§. 10.

Si *Hobbes*, cujus in Politicis nomen non ignotum est, vestigiis insistere vellemus, brevius multò hanc rem expedire liceret. Nam omnem actionem suâ naturâ adiaphoram statuit, quod justa & injusta sit, à Jure Imperantis provenire. Quid furtum, quid homicidium, quid adulterium, cognoscendum esse ex lege civili. Negat enim ante Imperia Justum & Injustum extitisse. Vid. *lib. de Civ. c. VI. n. 16. & c. XII. n. 1.* Diu hoc ante ipsam docuit *Carneades* apud *H. Grotium Proleg. lib. de J. B. & P.* Quod si verum esset, frustra videretur nostra tractatio. Si enim civitas aut Principes justâ faciunt imperando, & quæ vetant, vetando injusta (ut loquitur notatus *Hobbes* l. c.) quid laborandum ministro fuerit, ne impingat, aut criminis culpâ se obstringat? Eò namque ipso, quod jussa Principis capeat & paret, justè agit. Sed apage hoc doctrinæ carcinoma! Qui Juris divini & naturæ præcepta eorumque originem callent, illos aliter sentiant, oportet.

A 3

§. II.



Nam heic præsupponimus, quod recta conscientia cuius  
 etiam dicitur, (i. *dari actiones*, quæ, antequam de iis humano impe-  
 rio aliquid ordinetur, sunt *moraliter definite*; ita ut aut *debitæ* sint,  
 aut *illicitæ* per naturam suam. Quoniam vel conveniunt cum le-  
 ge DEI æternâ, quam mentibus hominum inscripsit, vel eidem  
 repugnant. Quarum illæ, *moraliter necessariae*, hæ *moraliter im-*  
*possibiles* dici solent: Ut *Deum colere*, debitum; *ledere proximum*  
*dicto seu facto*, illicitum per se. Confer *Gellii lib. II. N. A. c. 7.* (2.  
 Esse *actiones*, quæ quidem si mandatum aut divina institutio ab-  
 esset, non forent *per se bonæ aut malæ*, sed postquam DEUS, datâ le-  
 ge, illas mandavit aut vetuit, nullus Princeps aut civitas, tales vel  
 aliter ordinare, aut abrogare per sua mandata validè potest; nisi  
 DEUS ipse ad tempus saltem imperarit.

Hâc præstructa hypothesi, confidenter asserimus, hæc, quæ  
 diximus actuum genera, ad jus Imperantis planè non pertinere,  
 ut à DEO per naturam vetita aut iussa, quoquo modò, aliter or-  
 dinare aut prohibere queat. Causa est, quia sicut in naturalibus,  
 causæ inferiores in agendo, à Superioribus dependentes, contra  
 superiorem efficaciam, vim agendi non habent; ita etiam in mo-  
 ralibus. Quare talia imperia, quatenus directè juri naturæ aut  
 imperio divino contraeunt, *ministerium obligare* nunquam possunt.  
 Inde *Antigonus* Rex, quodam dicente, omnia Regibus honesta ju-  
 staque esse: Sunt per Jovem, inquit, barbarorum duntaxat regi-  
 bus; at nobis ea duntaxat honesta sunt, quæ honesta sunt: & ea  
 tantum Justa, quæ Justa sunt. *Vid. Lycosthen. Apophth. tit. de regn. &*  
*Regib. p. m. 933.* Nec, ut *Tacitus de Mor. Germ. c. 7.* loquitur, *Regibus*  
*infinita aut libera potestas concessa est.* Si verò secus faciunt, DEO  
 respondebunt. Confer *Lipsii præfat. ad Imperat. Reges & Principes,*  
*lib. Polit. præmissam.*



# CAP. II.

De

## Qvæstione per rationes definitâ:

### Breviarium.

(1.) Qvæstio principalis adfertur. (2.) definitur negativè rationibus petitis: ex Jure divino: (3.) ex J. naturæ: (4.) confirmatur partim dictis sapientum: partim (5.) sententiis Patrum; partim (6.) exemplis ministrorum, qvi crimen exsequi detrectârunt.

#### §. I.

**H**is præmissis ad κενόμυθον seu id, qvod in hac disputatione maximè qværitur, propius veniendum est. Haftenus saltem ex lege methodi, à Philosopho lib. 1. Poster. Analytic. c. 1. §. 4. scripta, qvæ ad πρὸ γνωσιν τῶν λεγομένων pertinent, seu qvud sit ministerium quod crimen est, ostendimus, quantum ad scopum nostrum est satis. Thema autem seu qvæstio, his terminis mihi videtur nunc posse perspicuè proponi: *An minister, qui in conditione parendi positus, debeat mandato Principis, seu Superioris parere, & ministerium suum ei commo- dare, licet noverit executionem talem esse Crimen?*

#### §. 2.

Nos qvæstionem hōc modō allatam negamus: Sed ut negationis ratio constet, argumentis prius hanc rem expediemus, qvàm destructum eamus dubia, qvæ obstare posse videntur. Illa autem vel ex Jure divino, vel Nature & Gentium peti possunt. Juris divini præcepta, ex S. Codice petenda sunt, qvi non solum crimen patrare severè prohibet sæpissimè; sed etiam, qvod ad nostram assertionem maximè facit, interdicit, cooperationem mali, quocunqve ministeriō illa præstetur. Ne insistito vestigiis potentiorum ad mala, edicit Jehova per Mosen Exod. XXIII. 2. Gentium Apostolus 1. Timoth. V. 22. Manus citò nemini imposueris; neq; com-

mmmm





*communicaveris peccatis alienis.* Sed qui crimen jussu superioris patrat, insistit vestigiis potentiorum ad mala, communicatque peccato alieno; proinde culpâ carere nequit. Et laudatus Apostolus *1. Cor. VII. 14.* suos monet, ne contra voluntatem DEI fiant servi hominum; quod eveniret, si quis superiori mandanti crimen obtemperaret. Clarius adhuc est illud Apostolorum: *DEO magis parendum, quam hominibus Act. V. 29.* Hoc Obstetrices Ægypti non ignorârunt, parere recusantes, cum Ebræorum infantes interficere Rex imperabat, quia, ut causa additur, *Deum timebant*, qui per naturam vetat hominem innocentem occidere. Et ministri seu satellites Saulis rectè deprecabantur mandatum tyrannicum Regis exsequi, cum juberentur sacerdotes Jehovæ, viros innocentes, morte afficere. Contra *Doëgus* impiè egit, qui prompto animo, ad exsequendum Regis jussum, prosiliebat, *1. Sam. XXII.*

## §. 3.

Per *Jus nature* iniquum est facere, quod conscientia repugnat dictamini: Nemo autem, cui recta ratio, aut aliquis pietatis sensus superest, negabit conscientiam rectam, omne crimen damnare, quippè sanæ rationi adversum. Conscientia verò imperium frustra adfectat, quisquis etiam mortalium sit. Soli DEO illa subest: nulli imperanti subjacet, ut præter fas parere debeat.

## §. 4.

Atque indè est, quòd inter gentes honestiores, nonnulli imperia turpium censuerint injusta, quæ obstringere subjectos haut valeant. Apud *Euripidem*, dicenti Creonti:

*Nome exsequi mandata, Jus ipsum jubet?*

respondet Antigone:

*Non imperata jure, nec jus exsequi,*

Musonius apud *Stobæum Serm. L. XXVII. Tit. quòd liberos Honorem debitum prestare parentibus oporteat, & an per omnia eis obedire conveniat fol. m. 456.* ita ait: *Si quis aut patri aut magistratui, aut domino turpia, aut iniqua factu imperanti non paret, is nec inobediens est, nec injuriam facit, nec peccat.* *Gellius N. A. lib. II. c. 7.* negat probam esse sententiam, quâ liberi patri in omnibus parere jubentur. *Quid enim, ait, si proditionem patriæ, si matris necem, si alia quedam im-*  
perata



peraverit turpia aut impia? Media igitur sententia optima atq; tu-  
 tissima visa est; quaedam esse parendum, quaedam non esse obsequendum.  
 Sed ea tamen, quae obsequi non oportet, leniter ac verecundè & sine detesta-  
 tione nimiam sineq; opprobriatione acerba reprehensionis declinanda sensim &  
 relinquenda esse dicunt, quam respicienda. In eandem sententiam pro-  
 nunciat Quintilianus in Declamat. Et Seneca de Benefic. lib. III. 20.  
 Non enim aut nos, inquit, omnia jubere possumus, aut in omnia servi pa-  
 rere coguntur. Contra rempublicam imperata non facient: nulli scelere  
 manus commodabunt. Plura in hanc rem, lege sis apud H. Grotium.  
 de J. B. & P. lib. II. c. 26. §. 3.

§. 5.

Sed quia Christiani sumus, meritò etiam attendimus piorum in  
 Ecclesiâ Doctorum dicta & monita, quæ super hac quæstione le-  
 guntur annotata. Ut est Tertulliani in Apologetico: Satis præscri-  
 ptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere secundum Apostoli præ-  
 ceptum, subditos magistratibus, Principibus & Potestatibus; sed intra li-  
 mites discipline. Hieronymus ad locum Eph. VI. 1. ita commenta-  
 tur: Peccatum filiorum est, non obedire parentibus, & quia poterant pa-  
 rentes aliquid imperare perversum adjunxit, in Domino. Et de servis  
 addit: cum Dominus carnis, à Domino Spiritus diversum imperat, non  
 est obediendum: Idem alibi: in illis tantum debent dominis & parenti-  
 bus esse subjecti, quæ contra DEI mandatum non sunt. Optimè Au-  
 gustinus de Verb. Domini, secundum Matth. serm. VI. Si aliquid jusse-  
 rit Curator, nonne faciendum est? non tamen, si Proconsul jubeat: Non  
 utiq; contempnis potestatem, sed eligis majori servire. Rursus, si ipse ali-  
 quid jusserit Proconsul, aliud jubeat Imperator, numquid dubitatur illo  
 contempto, illi esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, aliud jubeat  
 Deus, quid judicatur? major potestas DEUS, da veniam ô Imperator.  
 Ambrosius de militibus Juliani hæc prædicat: Julianus Imperator  
 quamvis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites: quibus  
 cum dicebat, producite aciem pro defensione reipublicæ, obediebant ei:  
 cum autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc agnoscebant  
 Imperatorem Cæli. Vide H. Grotium. l. c.

§. 6.

Atque indè manifestum esse arbitror, non licere bono viro  
 (necdicam Christiano) in quocunq; officio constituto, ministe-  
 rium

B

pa-  
 pec-  
 sto-  
 ant  
 cri-  
 EO  
 A-  
 in-  
 un-  
 re.  
 um  
 va,  
 qui  
 at,  
 ou-  
 ta-  
 en  
 pe-  
 EO  
 at.  
 illi  
 tos  
 em  
 ve-  
 ino  
 in-  
 m  
 ir,  
 m-  
 An



rium præstare, quod per conscientiam rectam, crimen esse iudicat. Nam à DEO vetita, juberi, aut iussa vetari ab humana potestate, validè in nullo casu possunt. Quare maximò sese scelere obstrinxerunt Judices, qui Achabo Regi, Nabothi vineam poscenti, jure mancipii adjudicarunt. *1. Reg. XXI.* cum lege divinâ Ebraeis data, vetitum esset, prædia extra familiam mancipari. Contra *Judices* apud *Josephum de Bell. Jud. lib. V. c. 1.* qui Zachariam innocentem damnare volebant, utut præsens sibi periculum à Zelotarum furore impendere intelligerent, laudem Justitiæ reportârunt. Nec *Papiniani* Jcti factum laude sua carere debet, qui cum ab *Antonio Caracalla* juberetur parricidium ab ipsò factum defendere, recusavit ille & mori maluit, quod sciret cum Jure Naturæ & Gentium pugnare, mentiri & patrocinium tanto sceleri præstare. Eandem honestatis & constantiæ laudem affectus est *Thomas Morus* festivissimus, juxta ac prudentissimus Angliæ Cancellarius; qui cum *Henrici VIII.* Regis novorum amorum appetentissimi, facta approbare suffragio suo constanter abnueret, ob recusatum criminis patrocinium, capite plexus fuit. Confer. *Herbertum in Histor. Henrici VIII. Angl. Lond. Ann. 1659. edit.* Parem hujus Mori βεληφόρον in aliis actionibus pietatem & prudentiam commendat *Erasmus in Epist. ad Joh. Fabium* Episcopum Vienensem, quæ *lib. XXVII. Epist. fol. m. 1070. seq.* legitur. Nec minor laus est *Senatus Parisiensis*, cui cum Rex *Ludovicus XI.* iniqua injunxisset, *Lanacrius* Præses Regem, coronâ Judicium stipatus adiit, mortemque precari dicebat se collegasque suos male, quam legis propositæ pati promulgationem; inde Rex ipsorum constantiâ perterritus, legem abrogari ac rescriptum præsentibus iudicibus, lacerari jussit. Vide *Bodin. de Republ. l. III. c. 4. p. m. 464.*

CAP.



# CAP. III.

De

## Dubiis quæstioni oppositis.

### Breviarium.

Sequuntur adversæ partis argumenta (1.) objectio Hobbesi proponitur & (2.) diluitur. (3.) Adducitur alia objectio, quæ declaratur & (4.) confutatur. (5.) nova objectio tractatur & (6.) resolvitur. (7.) quartum argumentum discutitur. (8.) Quintò dubium movetur, quod (9.) solvitur. (10.) Quæstio *an civis jussu Principis, in bello injusto rectè arma sumat*, adfertur. (11.) Judicia Moralistarum super illâ, cum nostra sententia. (12.) Hac occasione notatur Feudista. (13.) Alia quæstio de ministerio carnificum & licitorum, quomodo crimen? (14.) Notatur H. Grotius. (15.) de Judicis & advocati ministerio, quando crimen sit, exponitur. (16.) coronis disputationi imponitur cum votò!

### §. I.

**S**ed hæc nostra assertio jam confirmata argumentis, videtur non carere dubiis. Nam primò inter seditiosas opiniones & ex quibus civitates intrinsecè ad ruinam disponantur, eam primò locò recenset *Th. Hobbes. lib. de Civ. c. XII. §. 1. & 2.* verba ejus sunt: *Regulas boni & mali, justi & injusti esse civiles, ideoq; quod legislator præceperit, id pro bono; quod vetuerit, pro malo habendum. Inde iniquum esse dicitur: Regibus non esse obtemperandum, nisi justa præceperint. Ante imperia justum vel injustum non extitisse, ut quorum natura ad mandatum sit relativa: actionemq; omnem suâ naturâ esse adiaphoram, quod autem sit justa vel injusta, à jure Imperantis provenire. Reges igitur legitimos, quæ imperent, justa facere imperando, quæ vetent, vetando injusta. Privatos autem homines, dum cognitionem boni & mali ad se trahunt, cupere esse sicut Reges; id quod salvâ civitate fieri nequeat. Hæc Hobbes. Addi posset, quod de disciplina militari Otho, apud Tacitum lib. I. c. 83. dicit: Si, ubi jubeantur, quærere singulis liceat; pereunte obsequio, imperium intercidit.*

B 2

§. 2.





Falsam verò esse hanc hypothefin, quòd ante imperia civi-  
 lia justum vel injustum non extiterit, supra declaravimus §. 10. 11. 12.  
 Quomodo adolefcere potuiffent civitates & coalitæ fervari, nisi  
 ante ipsas aliquid justum vel injustum extitiffet. Certè pacta, per  
 quæ civitates coaluere, requirunt ante extitiffe discrimen justum &  
 injusti; ita ut pacta fervare jam antea fuerit justum. Vide fis  
*Dn. Pufendorffii de J. N. & G. lib. VIII. c. 1. §. 4. Legem DEI æternam,*  
*fontem esse justum & injustum D. Meifnerus in Tract. de legib. & Dn.*  
*D. Osiander in Typo leg. Natur. demonstrant.* Deindè falsum est, ad  
 feditionem per fe disponere *cognitionem boni & mali, justum & injustum,*  
 fi fingulis permittatur: Nam non simul id docetur, quod si inju-  
 stum aut turpe mandat Princeps aut civitas, liceat ministro in-  
 furgere contra superiorem; hautquaquam. Solùm non agere  
 debere ministrum, afferimus. Et quamvis mandatum tale care-  
 at effectu suo h. e. obligatione; vis tamen eò nomine illata effe-  
 ctum quendam habet, non tantùm physicum, sed *moralem* eumq;  
 ex parte patientis; hunc fcilicet ut eam vim repellere non liceat.  
 Defensio enim violenta, cum adversus parem fit licita, adversus  
 superiorem & quidem Dominum illicita est. Quandoquidem  
 non solùm Jus divinum disertè improbat eam defensionem, quæ  
 vi fit, contra vim injustiffimam, sed publico nomine illatam,  
*Matth. XXVI. 52. Rom. XIII. 2. & 1. Petr. II. 13. & 18.* Sed & Jus na-  
 turæ non videtur pati, ut pars toti se opponat. Inde David Prin-  
 cept & Dux militiæ in populo DEI, Jus sibi non putavit, Regem,  
 planè tyrannicè regnantem, vel digito attingere, adeò ut ob ab-  
 sciffam penulæ partem, conscientia illum torferit. *1. Sam. XXIV.*  
 Exempla patientiæ heic à DEO præscriptæ, præbent Christiani  
 illi veteres, qui sub duriffimo infidelium Imperatorum, dominatu  
 vixere, metuenda planè multitudo, si alienum quàm suum sangvi-  
 nem fundere maluiffent: Tranquilli autem fuere, imminentem  
 jam feditionem compescentes. Vide *H. Grotium. de Imp. Summ.*  
*Potestate circa sacra c. III. n. 6. & 14.* Cæterùm unum heic Symbo-  
 lum civium fingulis: *mibi jussa capessare fas est.* Illos autem pecca-  
 re graviffimè & feditiosos esse, qui ministris aut inferioribus qui-  
 busdam potestatibus, adversus summam arma induunt, libenter  
 admi-



671.  
admiserim. Nego verò id sequi ex nostra doctrinâ, cum asserimus humana imperia obligare ad omnia, quæ injusta non sunt aut impia; injustum autem non est à resistendo abstinere, ceu poscit obsequium, quod cives summæ debent potestati.

§. 3.

Secundo opponitur, ministerium excusari posse, cum per modum instrumenti solum se habeat in executione criminis, omnî cognitione simulqve necessitate reddendæ rationis in Principem jubentem, ceu causam principalem devoluta. Ita ut mera executione actionis, in crimen non imputetur executionem facienti, sed imperanti. Dicente enim Seneca in Troadibus, ad auctores redit sceleris coacti culpa; Vel, ut est apud Procopium, Hist. Goth. l. 1. c. 5. in fine, legatus mittentis jussu verba enunciat, eorum culpam, si qua peccatur, non ipsi, sed ei, qui imperavit, æquum est imputari, cum legato obsequii incumbat necessitas. Oratoris quippè officium est, suum cum fide ministerium exsequi. Et Suius criminum accusatus apud Tacitum, Ann. XIII. cap. 43. nihil ex his sponte susceptum, sed Principi paruisse defendebat. Hobbes lib. de Civ. c. XII. §. 2. hac de causa distinctionem adfert inter peccatum proprium & alienum, verba ejus sunt ista: Peccatum meum est, quod faciens, peccatum meum esse puto; quod verò peccatum alienum esse puto, possum quandoq; sine peccato meo facere. Nam si jubeam facere, quod peccatum jubentis est, modo qui jubet, jure dominus meus sit, id si facio, non pecco: non enim si milita vero jussu civitatis, putans bellum injustè susceptum esse idcirco injustè fecero, sed potius, si militare recusavero, cognitionem justis & injustis, quæ pertinet ad civitatem, mihi arrogans. &c.

§. 4.

Verum enim verò, nec per hocce dubium posse ministrum à culpa in criminis executione liberari patebit, si instrumenta partim distingvamus, partim obligationem legum divinarum & naturæ, attendamus. Equidem verum est, instrumento ἀλόγως, non imputari actionem, quam causa principalis, isthoc usa produxit; sed perperam hoc ad instrumentum trahitur morale; quippè quod ratione pollet & potestati etiam superiori, ejusqve legibus præter potestatem, cui in civitate paret, obstringitur. Cujus contra præcepta ut præstet operam, si maximè civitas aut Princeps

B 3

jubeat,



1672.  
jubeat, nunquam licet aut fas est. Etenim nullus minister, quando se ministerio superioris in mundo addicit, potestate DEI ejusque legibus, sive naturæ rationali insitis, sive revelatis, eximi intelligitur. Si autem isthac obligatione non liberatur, quomodo non ipsi peccatum imputari dicemus, quod Jussu Imperantis exsequitur? Falsum proinde est, quod *Hobbes* tradit, posse aliquem, peccatum jubentis Domini sui facere, ut tamen faciendo non peccet. Distinctio qua utitur, ruinosum habet fundamentum: Videlicet, quod ab arbitrio legislatoris & imperantis dependeat omne justum & injustum. Hoc verò cum falsissimum sit, ruit quod superstruitur. Neque ab opinione hominis est, quod alicui peccatum, ceu suum imputatur, sed à cooperatione ejus, quod contra legem est, sive id faciat proprio jussu, sive Jussu Superioris.

§. 5.

*Tertio* urgeri potest necessitas agendi, seu *coactio*, quæ ministro recusanti executionem, imminet; solent autem vulgò, quæ quis coactè facit, non imputari.

§. 6.

Sed respondemus, nulla coactio debet obligandi necessitatem injicere ministro, ut exsequatur id, quod in se turpe est. Deinde notandum, *cogi* quem dici posse *duplici modo*; uno, quando alius per violentiam nostri corporis membra ad aliquid agendum aut patiendum, vi quadam, contra voluntatem nostram applicat; alterò si superior aut potentior grave aliquid malum comminus intentat, si quis præstare, quod mandat turpe, intermittat. *Priorem* coactionis modum liberare à culpa, non posteriorem asserimus, cum potius malum physicum ferre oporteat, quam malum morale exsequi, quippe quod semper fœdum ac turpe est.

§. 7.

*Quartò* difficultate, ut *objicitur*, non caret, casus, si Dominus ministro injungat meram executionem criminis, quod hic effectui dare adversatur & deprecatur maximè: sed tamen ob periculum mortis certò imminens, tandem præstat executionem, ante detrectatam ut effugiat malum, ad quod sustinendum ipsum  
nulla



nulla videbatur obligare iustitia; ad parendum verò contra se obstrictum esse Domino suo, noverit, cum non sit herilis imperii censor, sed minister. Heic quæritur, *an minister in tali casu, crimen citra peccatum proprium exsequi possit?* Nobis id videtur negandum, propter rationes jam supra Cap. II. & hoc ipso paragrafo. 4. allatas. DEO, qui malum vetat, *semper magis est parendum, quam homini.* licet malum præsens pœnæ eò nomine ingruat; tutius tamen & gloriosum magis est pati malum propter proximum, quam suam operam commodare ad nocendum alteri, aut quocunque modo patrare id, quod in se turpe aut injustum est.

## §. 8.

Quintò disputatur, *annon liceat, si minister dubitet, res licita sit necne, exsequi mandatum, cum credere possit, in re dubiâ obsequendum esse superiori?* Parendum plerique censent: nec obstare illud laudatum: *Quod dubites ne feceris:* quia qui contemplativè dubitat, potest activò iudicio non dubitare. Credere enim potest in re dubia obsequendum superiori. Alii cum Adriano Pontifice contrariam defendunt sententiam. Vide *H. Grot. loc. c. §. IV.*

## §. 9.

Nos ut hanc quæstionem solvamus, distingvendum esse arbitramur, inter dubium *theoreticum* seu speculativum, & *practicum* seu activum: illud est de actione indefinita, nec circumstantiis singularibus vestita e.g. an bellum gerere sit in se licitum: Hoc verò est de actione singulari & circumstantiis definita, hic & nunc exsequenda. Hoc distinctionis temperamentò præmissò; dubitantes ministros dispescimus in duas quasi classes. *Quidam* dubitant *theoreticè* & *practicè* simul; *quidam* solummodò *practicè*. Quorum illi si agunt, necessariò peccant, quia scientes se peccati periculo exponunt, quippe parum attendentes, an actio sit iusta an iniusta. Quod quid aliud est quam malum implicite velle? Confer. *Rom. XIV. v. 23.* & vide sis *Dn. Osiandri Annot. ad loc. cit. H. Grotii.* Hi verò, qui tantum *practicè* seu activo iudicio, de materia seu actione hac vel illa singulari dubitant, minori peccandi periculo subjiciuntur, & omninò, si à legitima potestate jubentur, agere debent. Nam etsi dubitante conscientia aliàs nihil debeat fieri, in materia tamen singulari id, quod in theoria indefinita non



non habet dubium, practicèqve certum putatur, præferendum est incerto speculativè. Præcipuè, cum & illud in praxi certum sit, Potestati supereminenti non mandanti manifestò turpia, semper esse parendum. Atqve hinc obtinere debet trita regula; *in dubiis tutior pars est eligenda.* Pars autem tutior in tali dubio accipitur *comparativè* ad oppositum *hoc est*, illa pars, quæ tuta, est præferenda ei, quæ periculosa aut minus secura est. e.g. Princeps jubet subditum suum militare: Hic dubitat non quidem *theoreticè* an belligerare sit licitum; sed, ut nonnulli loqui amant, *practico-practice*, an hic & nunc bellare justum sit; cum de justitia belli hujus sit incertus; certus tamen est alias bellare, esse licitum, idemqve parendum esse in re dubia superiori. Heic pars tutior est obsequi superiori: minus tuta, bellum, de cujus causis justificis dubitat, detrectare. Atqve hoc *Augustinus* etiam voluit, contra *Fauftum* scribens: *Ergo vir justus, si forte sub Rege etiam sacrilegò militet rectè potest illo jubente bellare, si civica pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra DEI præceptum, certus est, vel utrum sit certus non est: ita ut fortàs eum faciat Regem, iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Vid. *H. Grotium*. l. cit. Ubi quæ censuram merentur, *annotata* leges apud Celeberrimos Viros *D.D. Zieglerum & Osiandrum* ad h. l. Si verò utraqve pars æquale malum videatur, consulendi sunt viri prudentes, qui si dubium eximere haut valent, eligatur illa pars, ad quam præviis ad DEUM factis precibus, animus inclinatur. Quod est consilium *B.D. Balduini lib. de Consc. & ejus Cas. c. VIII.*

## §. 10.

Ex his fundamentis definienda est quæstio, quam magni viri agitarunt, an civis jussu Principis, in bello injusto rectè arma sumat? Ubi *Grotii*. lib. II. *J. B. & P. c. 26. §. 4.* est sententia; quando manifestum est, injusta arma à Principe alteri inferri, haut fas esse civi, ut sit fatelles scelerum. Sed in dubio sequendam esse partem tutiorem, quæ sit abstinere bellò.

## §. 11.

Enimverò nobis videtur heic tutius, respondere cum Doctissimis Politicis pariter ac Theologis, servatâ distinctione, inter notitiam injustitiæ belli manifestam, & inter notitiam

in-



675

*injustitiae probabilem aut dubiam*: In priori casu non licere jussu Principis militare asserimus cum *Grotio*, quia nullâ religione mandati, quis homicidium, raptum (sine quibus bella non possunt geri) tenetur patrare. Sed verò cum apud omnes gentes, quæis aliqua honesti cura est, in deliberationibus, de bello suscipiendo causam belli justificam semper præsupponi videamus; arbitramur in *hoc altero casu*, ubi civi seu militi belli justitia videtur dubia, teneri ipsum ut militet, quia tenere debemus certum ac relinquere incertum. Certum verò est, inquit *B. Gerhard. Tom. VI. Loc. de Magistrat. n. 399.* quòd subditi obedientiam debeant Magistratui non præcipienti manifestè impia & injusta. Idem judicium est *D. Hülfemanni. Breviar. c. XX. n. XIV.* In dubio, inquit, obligationis circa speciem, *an liceat jure divino vel non liceat?* cujus genus lege divinâ præceptum vel interdictum est, debet subditus sequi post discussionem possibilem, judicium Magistratus, ut *in belli causa dubia: interdicto commercio cum hostibus &c.* Quod ex *Megalandro Luthero* confirmari potest; cujus sententiam non abs re erit, si ex *Tom. III. Jenens. fol. m. 328. f. 1.* huc transcribam; **Wie wenn mein Herr unrecht hätte zu kriegen?** Antwort / wann du weißt gewiß / daß er unrecht hat / so soltu **GOTT** mehr fürchten denn Menschen. Actor. V. und solt nicht kriegen noch dienen / denn du kanst da kein gut Gewissen für **GOTT** haben. & paucis interjectis. Wenn du aber nicht weißt oder kanst nicht erfahren / ob dein Herr / ungerecht sey / soltu den gewissen Gehorsam / umb ungewisses Rechts willen / nicht schwächen / sondern nach der Liebe Art / dich des Besten zu deinem Herrn versehen / denn die Liebe gläubet alles und dencket nichts arges *1. Cor. 13.* so bistu sicher und fährest aber wohl vor **GOTT**. *ic.* Idem sentit *Martinus Bonacina, Theolog. Moral. Tom. II. Tractat. de Contractib. & Restitut. disp. II. se Et. 1. punct. ultim. de bello §. 2. n. 10. fol. 107.* Militibus, ait, qui sunt subditi Principi indicenti bellum, vel qui recipiunt stipendium à Principe etiam pacis tempore, seu qui ante bellum locaverant Principi operas suas ad pugnandum, satis esse, si sciant, causam belli non esse injustam; in dubio enim obediendum esse superiori præcipienti & in ejus favorem presumendum est; ita *Molina d. 113. ubi citat Cajetanum & Victoriam, Tabiena verb. Bellum, num. 14. Emanuel Sà verb. Bellum, num. 10. & 12.*

C

Ange-



*Angelus verb. Bellum num. 3. & 8. Azorius locò cit. quæsto 21. & alii*  
 Accedit periculum reipublicæ, si in negotio tanti momenti obsequium civium, à singulorum iudicio suspendatur. Quàm facile fuerit heic timiditati & ignaviæ scrupulum conscientiæ obtendere? Quisquis igitur in dubio, potius præsumere debet, Principem cum Consiliariis, quibus cura reipublicæ peculiariter incumbit & vires civitatis penitissimè perspectæ, clarius cernere quid iustum & quid ex usu sit, quàm privatim. Ac adeò tutissimum fuerit, si civis in tali dubio pareat, summumque Imperantem super iustitiâ belli, DEO rationem reddere permittat. Nam ut *Marcus Aurelius* sapientissimus Imperator dixit, *Magistratus de privatis, Principes de Magistratibus, DEUS autem de Principibus decernit, ac iudicat.* Confer. *Dn. Ziegleri Not. ad H. Grotii l. c. & Dn. Pasendorffii lib. VIII. de J. N. & G. 6. 1. §. 8.*

## §. 12.

Malè ergò *Fendista, 2. Fend. 28.* decernit, in bello iniusto defensivo obligatum esse Vasallum Domino opem ferre, in offensivo verò iniusto bello liberum ei esse, utrum assistere velit, an minus. Nam ut probavimus, in causa vel fine belli notoriè iniusto, neque ad bellum offensivum neque ad bellum defensivum licet opitulari Principi suo; quin omnia potius, monente *Hülsemanno cap. cit. n. XX.* tormenta perferre tenentur, quàm ut scienter ad ullum peccatum mortale patrandum cooperentur: idcirco id Capitulum non convenire juri divino agnoscit *Jacobinus de S. Georgio de feud. §. & promiserunt n. 8. confer alios à Domino Zieglerò allegatos.*

## §. 13.

Simili ratione solvitur quæstio, quæ à Doctissimis etiam viris tractata fuit, an licet & carnifex salvâ conscientiâ possit iussum vel sententiam Magistratus exsequi, de cuius iustitia certus non est. *Episcopus, sectæ Arminianæ in Belgio coryphæus Tom. I. opp. fol. 47. in Respon. ad Qu. 46. de Collybistis seu Lombardicis & de Carnificibus, utrum ad sanctam Coenam sint admittendi?* Hac de causa carnifices ferè damnant: *Quod attinet, inquit, ad carnifices, qui ultro se offerant operamque suam locant Magistratui ad feriendum, jugulandum, capite truncandum, ustulandum & quolibet tormentorum mortiumque, licet immanissimarum genere, quosvis sententia iudicis damnatos adficiendum, absque*  
 ulla



677.

*ulla causse inquisitione aut cognitione & quidem cum stipendii pro navata opera stipulatione, eos ego, non modo non in Christianorum, sed ne quidem hominum numerum retulerim. Quid enim à ratione humana omni alienius, quàm sine ulla ratione operam suam locare occidendis sine discrimine quibuslibet hominibus, quàm nocentibus, quàm innocentibus, dummodo à iudice damnati sint? Quid vilius, quàm pro istà opera, stipendium cupere ac capere? Non dubito, quin isti Christum interfecuri essent, si nunc à iudicibus damnaretur & pro cade ejus premium poscerent. Pessimi sane mortales & nimium fæde turpiterq; venales anime. Equidem mirari sæpenumerò satis non possum, quomodo magistratus Christianus, eò olim delabi potuerint & semel receptum morem hodieq; nusquam non retineant, ut hominum non aliter, quàm brutorum animantium opera, non dico, ut antur sed abutantur, ad supplicia exsequenda. Certè inter Judices, DEUS neminem sic carnificem esse voluit, sed testes ipsos, non nisi de crimine certos Justissima cædis ac supplicii autores esse voluit. Quantò equius erat id fieri à Christianis, aut si id commodè fieri non possit, etiam ab iis aliam viam iniri, quàm istam, quàm hominis opera adhibetur, ad occidendũ damnatos, qui, an jure an injuriã damnati sint, non magis intelligit quàm equus aut mulus? Que, inquires, ista via esse potest? Respondeo: Ego, quamlibet comminisci malim, quàm eam que nunc initur, probare. Quod si tamen ab eã recedere consultum non videtur & carnifice opus est, tum verò ne adhibeatur carnifex, nisi auditã cognitãq; causã, ne fortè insentem, aut de quo an sons & mortis reus sit, certus non est, feriat. Quod si quis ultrò se offerat, ad quemlibet damnatum feriendum, ubi Prætor aut Senatus jusserit, eum ego hominum exuere velle deditã operã, ac proinde inter homines, qui ratione, non jussis ducuntur, ut mancipia & bruta, etiam collocandum non esse crediderim: imprimis si antea benè premonitus fuerit, ut ignorantia quamquam vix humane, velo se tegere nequeat. Hæc Episcopus. Idem sentiet haut dubiè de apparitoribus Magistratus, qui sine discrimine nocentes, innocentes in carcerem compingere solent. Nos repetitã distinctione proximè allatã, asserere non dubitamus, Carnifices & lictores posse & debere etiam ministerium suum exhibere Magistratui poscenti, quando cunqve de injuria innocenti inferenda ipsis non certò constat. Si autem iniquitas ipsis est explorata, & manifestè cognita, qualis fuit in sacrilega Sacerdotum cæde à Saule mandata, à ministerio tali abstinendum omninò fuerit. Atqve opera potius danda,*



danda, ut liberetur innocens & salvus evadat, Confer *Gerhard. Loc. de Magistr. cit. Gregor. Sayri Clav. Reg. lib. XII. c. 8. de veritate ad rectè judicandum, n. 17. fol. 912. Dn. Zigler. Dicast. conclus. XXXV. §. 20.*

## §. 14.

*H. Grotius l. c. n. 4. in fine*, Episcopii sententiæ videtur favere, quando ait: sibi probabile videri etiam *Carnifici*, qui damnatum occisurus est, hætenus, aut quod quæstioni & actis interfuerit, aut ex rei confessione, cognita esse debere causæ merita, ut satis ei constet, mortem ab eò commertam, idque nonnullis in locis observari: nec aliud spectare legem Hebræam *Deuteron. XVII. 7.* quæ ad lapidandum eum, qui damnatus erat, testes vult præire populo, qui annotante ad *b. l. D. Osiandro* manus imponebant capiti rei, qui instar victimæ ita destinabatur internecioni, tanquam devotus & dignus capitali supplicio, additâ formulâ: *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos.* Verum Carnifici, præcisè constare de causæ meritis debere, non esse necessarium, probavimus in §. antecedente. Quia vix fieri id posse per mores hominum videtur, cum hodie, qui hoc munere abjecto funguntur, ne prima juris fundamenta delibarent; taceo, quod processum Juris calleant. Hæc autem qui nesciunt, quomodo exactè causæ merita dijudicare poterunt? Si tamen fortè exploratum & manifestè cognitum habeat Carnifex, innocentem esse eum, quem occidere jussus est, parere hautquaquam debet, sed id potius agere, quantum fieri potest, tenetur, ut absolvatur innocens & dimittatur. Vid. *D. Ziegleri Dicastic. l. c. p. 612.*

## §. 15.

Eodem modo solvitur illa quæstio Moralistarum de *judice, an judex debeat sententiam per juris processum, vulgò receptum, latam exsequi, etsi eam injustam esse sciat?* Heic, qui cum nonnullis Jctis probationes, in actis factas, scientiæ Judicis præferunt, & ex illis sententiam concipi debere contendunt, neglectâ, quam habet Judex, scientiâ, si exsequatur sententiam, ipsum à criminis culpâ absolvunt. Nos verò propter rationes suprâ allatas, amplectimur *B. Dannhæveri in Colleg. Decal. Disput. XIII. part. 2. Gymn. Consc. qu. 3.* & *Dn. Ziegleri* sententiam, in *Dicast. conclus. XXXV.* probantium, judicem peccare, qui secundum acta & probata condemnat



639.

mnat eum, de quo liquidissimam hanc habet scientiam, quod sit innocens; adeoque tale iudicis ministerium crimen fuerit. Quod etiam antiquiores *Moraliste* (quos vocant) apud Scholasticos, docent. *Angeli de Clavasio in Summa Angelica de Cas. consc. edit. Argentinens. A. 1491. impress. f. 191.* in vocabulo *Judicare* hæc est decisio: *Quid de officialibus, quibus mandatur executio sententiæ injustæ? Respondent Alexander de Ales in III. part. Summæ de quintô præceptô, & Richardus in Quodlib. III. qu. 25. quod si sententia continet intolerabilem errorem vel injustitiam manifestam, non debent obire: aliàs non peccant exequendo. Quod ego limito, quando non sunt certi de innocentia condemnati, quoniam in dubio excusantur: Sed quando sunt certi de injustitia: sic credo peccant mortaliter obediendo, ut in præcedenti §. dictum est.* Quæ pro adversa sententia hic excipi solent, eruditè discussa legas apud laudatum *Zieglerum. l. c. idem sentiendum de advocato, qui causæ, quam injustam esse novit, tamen parat patrocinium, fortè ex formulis fori & litigandi articulis desumptum. Graviter juxta ac eleganter, horum in litibus doctorum, ministerium taxat & perstringit nitidissimus scriptor Argenidis, lib. III. p. m. 263. sequ.*

§. 16.

Plures casus, eosque non dissimiles heic fortè liceret annexere, nisi quæ plurimis placet, brevitati studendum esset. Proinde telam hæcenus pertexam, abrumpimus: DEUM venerati, ut cum Ecclesiæ tum Reipublicæ *Ministros*, qui in ministerio suo, conscientia rationem habere semper allaborant, conservet & in posterum tales quoque concedere, dignetur. Sic enim fore, certò confidimus, ut vigeat cum pietate justitia & floreat (quod optamus!) Respublica.

S. D. G.

C 3

Addi



*Additam. Miscell.*

1. B. rutis non inest amor societatis.
2. Carnifices & Lictores communiter abominationi videntur esse hominibus, non solum, quia ex fece vulgi sunt, sed etiam propter ministerium, cujus praestatio partim cum inhumanitate, partim cum dolore conjuncta esse solet.
3. Cui nulla inest perfectio, is frustra affectat auctoritatem, cum haec sit opinio perfectionis.
4. Si ea demum felicitas completa videtur, in quam fortunæ nihil amplius licet, ob orbitatem liberorum, nemo infelix dicendus erit.
5. Prudentia non comitatur titulos & officium.
6. Rectè miraculi locò habetur, quòd mare mediterraneum undeqve conclusum & non nisi per strictissimum Fretum Gaditanum Oceano pervium atqve tot in gentibus fluviiis Bœti, Ibero, Rhodano, Tiberi, Pado, Nilo & aliis, in id sese exonerantibus, magis magisque non intumescat.
7. Quando Ludovicus XII. Rex Galliae Julii II. Papæ proscriptionem, ceu inanes diras, contraria obnuntiatione generose revicit, cuso etiam aureo numo, qui titulos Regis Franciae Regniqve Neapolitani cum effigie sua ex una parte, & insignia Franciae ex altera referebat, cum hoc elogio: **Perdam Babylonis Nomen**, argumento est, auctoritatem Papæ Rom. in Gallia ante reformationem cœpisse vilescere. *Vid. Thuan. Histor. lib. 1. m. f. 6.* Nec pluris Ludovico XIV. fuit autoritas Alexandri VII. Papæ, cum à Corsensibus Romæ A. 1662. Lega-



Legatus Dux de Crecqvy violatus esset: nota est de illo historia & distichon:

Agnoscit se Roma ream, miremur Amici,  
Ad cantum Galli poenituisse Petrum.

8. Qui artem bellandi non intelligunt, nec exercitui praefuerunt aut intersunt, de bello recte judicare haut valent.

9. Inscriptio, quam post occupationem Rupellae fuisse exaratam, Gramondus Hist. Gall. lib. 18. ad ann. 1628. scribit in haec verba:

LUDOVICO XIII. REGNANTE.  
ARMANDO CAR. ADMINISTRANTE.  
PRINCIPIBUS EUROPAEIS FRUSTRA IN  
GALLIAM CONJURATIS.  
INJECTA OCEANO FRÆNA.  
RUPELLA CAPTA.  
HÆRESIS CONCLAMATA.  
OBSTUPESCIS. ET MIRACULI AUTOREM  
QVÆRIS?  
NON EST UNIUS HOMINIS TANTUM  
OPUS, DUO SUNT.

*Ludovicus fecit.*

*Armandus invenit.*

Inscriptio hæc, inquam, magnifica, *judice Gramondo, loc. cit.* foret, si abesset subditi cum Rege comparatio. Ego dicerem, digna esset Rege Christianissimo, si DEI mentio non fuisset omissa.

- 10. Servitus in naturâ videtur habere fundamentum.
- 11. Ex desperatione pugnaces non sunt fortes.
- 12. Cur Apostatae ordinis sui sunt persecutores, videtur

tur





tur esse caussa, levitas quam amoliri hoc pacto student, seriae defectionis suae fidem apud suos facturi. Ad quos illa Taciti sententia accommodari queat: *in amore falsi, odia non figunt.*

13. Verè Livius: Perfidos, inquit, nunquam caussa deficit, cur pacto non stent: sed semper aliquam fraudi speciem Juris imponunt.

14. Non videtur consultum, ut Ministri Dominorum suorum Domini sint. Nota est inscriptio literarum, quæ confictæ circumferebantur tempore Philippi III. Reg. Hispaniæ: Nam Rex ipse, cum aliquando à deambulatione rediret, reperit in mensâ epistolam obfiguratam, cum hâc inscriptione: *Philippo III. Regi Hispania, hoc tempore Duci Lermæ à servitiis.* Rex inspectâ epistolâ risit, & ad Ducem Lermæ conversus, dixit: *Vide quid de nobis scribatur.* Dediderat enim se Rex Marchioni Devia, quem Lermæ ducem constituerat.

15. Plura dantur omina accepta, quàm data.

FINIS.



hl

1077



ftio, qu  
præsta  
non in  
argum  
dè fiat  
rium, it  
fis id, q  
ut even

Præ

(1.) V



rio. Cato  
cia est.  
minister  
rium no  
dernis  
hoc no

s, & rerum usu  
tamen audaciæ  
o, super isthòc  
vod ut commo-  
otuplex Ministe-  
n. His præmis-  
Faxit DEUS;

Stationis:

divisio. (3.) Quid  
m: (5.) Quid insti-  
Crimen sit. (8.) An  
ficatio vocis criminis  
criminibus & eorum  
ibus hypothesis mo-

ina est, & notat  
orem aliquam ope-  
æ præstatur. Vel  
devictâ nullis assi-  
s - consulto, ministe-  
verat, facta provin-  
sub honorificentissimo  
it. Ubi Ministe-  
ve hoc sensu, mo-  
sus est. Liber extat  
Lazarini, Cardina-  
lium.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak** LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

